Másolat.

Nos Ferdinandus tertius Dei gratia electus Romanorum imperator semper augustus ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Ramae, Serviae, Galitiae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque etc. rex, archidux Austriae, dux Burgoviae, Burgundiae Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, marchio Moraviae, dux Lucemburgae, ac superioris et inferioris Silesiae, Wirthemburgae et Thekae, princeps Sueviae, comes Habspurgi, Tyrolis, Ferreti, Kiburgi et Goritiae, landtgravius Alsatiae, marchio sacri Romani imperii supra Anasum, Burgoviae, ac superioris et inferioris Lusatiae, dominus marchiae Slavonicae, Portus Naonis et Salinarum etc. memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis, quod nos cum ad nonnullorum fidelium nostrorum humillimam supplicationem nostrae propterea factam maiestati, tum vero attentis et consideratis fidelitate et fidelibus servitiis fidelis nostri Blasii Nemes quae ipse sacrae primum regni nostri Hungariae coronae et deinde maiestati nostrae pro locorum et temporum varietate fideliter et constanter exhibuit et impendit ac in futurum quoque pari fidelitatis constantia se exhibiturum et impensurum pollicetur. Cum igitur ob id, tum vero ex gratia et munificentia nostra regia, qua quosque de nobis et republica Christiana benemeritos ac virtutis colendae studiosos, antecessorum nostrorum divorum quondam Hungariae regum exemplo prosequi, eisque

certa virtutum suarum monumenta, quae ad ma-
iora quaeque praestanda eos incitare possint decer-
nere consuevimus, eundem itaque Blasium Nemes
ac per eundem Catharinam Szigjarto consortem ac And-
ream filium, eiusque consortem Annam Szabo et And-
ream, Georgium similiter Nemes, filios eorum, filios
e statu et conditione ignobili, in qua hactenus per-
stitisse dicuntur de regiae nostrae potestatis ple-
nitudine et gratia speciali eximentes, in coetum
ac numerum verorum et indubitatorum regni nostri
Hungariae et partium ei annexarum nobilium
duximus annumerandos, cooptandos et adscribendos,
annuentes et certa nostra scientia, animoque de-
liberato concedentes, ut ipsi a modo imposterum
futuris et perpetuis semper temporibus omnibus
illis gratiis, honoribus, indultis, privilegiis, liber-
tatibus, iuribus, praerogativis et immunitatibus,
quibus caeteri veri, antiqui et indubitati regni
nostri Hungariae et partium ei annexarum no-
biles hactenus quomodolibet de iure vel consuetudi-
ne usi sunt et gavisi, utunturque et gaudent, uti,
frui et gaudere possint et valeant, haeredesque et
posteritates ipsorum utriusque sexus universae va-
leant atque possint. In cuius quidem nostrae, erga
ipsos exhibitae gratiae et clementiae ac liberalitatis
testimonium, veraeque et indubitatae nobilitatis
signum haec arma seu nobilitatis insignia: scu-
tum videlicet militare erectum caelestini colo-
ris, fundum illius viridi occupante latepatenti cam-
po, in quo vir integre militaris rubra tunica, flavis
cothurnis indutus forma virili, nigris mistacibus,

pileo rubro, pelle mardurina subducto et plumis aquilinis ornato conspicuus, erecta corporis mole stare, sinistraque manuum lumbis inuecta, dextra vero evaginatum gladium in ipsa vola fortiter compressum vibrare et ad dextrum scuti latus conversus esse cernitur. Scuto incumbentem galeam militarem craticulatam sive apertam, regio diademate inter alas gulinas nigro colore dispositas alterum virum militarem mediotenus eminentem, alioquin inferiori per omnia similem praeferente ornatam. A summitate vero sive cono galeae laciniis seu lemniscis hinc caeruleis et flavis, illinc vero candidis et rubris in scuti extremitates sese placide diffundentibus, scutumque ipsum decenter exornantibus, quemadmodum haec omnia in principio seu capite praesentium literarum nostrarum pictoris manu et artificio propriis et genuinis suis coloribus clarius depicta et ob oculos intuentium posita esse conspiciuntur, eidem Blasio Nemes ac per eum supranominatis personis, ipsorumque haeredibus et posteritatibus utriusque sexus universis gratiose danda duximus et concedenda. Decernentes ac certa nostra scientia, animoque deliberato concedentes, uti ipsi a modo in posterum futuris et perpetuis semper temporibus eadem arma seu nobilitatis insignia more aliorum verorum et indubitatorum memorati regni nostri Hungariae et partium ei annexarum nobilium sub iisdem iuribus, praerogativis, indultis, libertatibus et immunitatibus, quibus ipsi vel natura

vel antiqua consuetudine usi sunt et gavisi, u-
tunturque et gaudent, utique in praeliis, certa-
minibus, pugnis, hastiludiis, torneamentis, du-
ellis, monomachiis, ac aliis omnibus et singulis ac qui-
buscunque exercitiis militaribus et nobilitaribus, nec-
non sigillis, velis, cortinis, auleis, annulis, vexil-
lis, clypeis, tentoriis, domibus et sepulchris, genera-
liter vero in quarumlibet rerum et expeditionum ge-
neribus sub merae, verae, vetustae et syncerae no-
bilitatis titulo, quo eos ab omnibus cuiuscunque sta-
tus, dignitatis, conditionis et praeeminentiae ho-
mines existant insignitos et ornatos, dici, nomi-
nari, haberique et reputari volumus et manda-
mus, ferre, gestare, illisque in aevum uti, frui
et gaudere possint et valeant, haeredesque et pos-
teritates ipsorum utriusque sexus universae vale-
ant atque possint. Imo nobilitamus, damus et con-
cedimus praesentium per vigorem. In cuius rei
memoriam, firmitatemque perpetuam praesentes
literas nostras privilegiales, secreto sigillo nostro quo
ut rex Hungariae utimur impendenti commu-
nitas, eidem Blasio Nemes ac per eum supra-
nominatim specificatis personis, ipsorumque haere-
dibus et posteritatibus utriusque sexus universis gra-
tiose dandas duximus et concedendas. Datum per
manus fidelis nostri, nobis dilecti reverendi Geor-
gii Zelepcheny electi episcopi ecclesiae Nittriensis,
locique eiusdem comitis perpetui, consiliarii nostri
ac per dictum regnum nostrum aulae cancellarii, in
civitate nostra Vienna Austriae, die vigesima quin-
ta mensis Julii, anno Domini millesimo sexcente-

1651

simo quinquagesimo primo, regnorum nostrorum Romani decimo quinto, Hungariae et reliquorum vigesimo sexto, Bohemiae vero anno vigesimo sexto, reverendissimis ac venerabilibus in Christo patribus dominis Georgio Lippay de Zombor metropolitanae Strigoniensis et Joanne Püsky Colocensis et Bachiensis ecclesiarum canonice unitarum archiepiscopis, praefato Georgio Szelepchény electo Nitriensis, Benedicto Kisdy electo Agriensis, Sigismundo Zongor Varadiensis, Petro Petretich Zagrabiensis, Stephano Simandi electo Transylvaniensis, Georgio Szechy electo Wesprimiensis, Paulo Hoffman electo Quinqueecclesiensis, praefato Joanne Püsky administratore Jauriensis, Matthia Tarnoczy electo Vaciensis, Petro Mariany electo Sirmiensis, fratre Mariano Maravith Bosnensis, altero fratre Georgio Bielavith electo Tiniensis, Stephano Rohonczy electo Chanadiensis, fratre Johanne Chrisostomo de s. Petronilla electo Rosonensis ac itidem fratre Andrea Francisci electo Segniensis et Modrusiensis ecclesiarum episcopis, ecclesias dei feliciter gubernantibus, item spectabilibus ac magnificis comite Paulo Pálffy ab Erdeöd dicti regni nostri Hungariae palatino, comite Ladislao Chaky iudice curiae nostrae regiae, comite Nicolao a Zrinio dictorum regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae bano, comite Stephano de praenotata Chiák tavernicorum, comite Nicolao á Zrinio agasonum, comite Georgio Erdeödy de Monyorokerék cubiculariorum, comite Nicolao

Pálffy ianitorum, comite Adamo de Bathian dapiferorum, comite Adamo Forgach perpetuo de Ghimes pincernarum, comite Francisco de Nadasd curiae nostrorum regalium in Hungariae regno magistris ac dicto comite Paulo Pálffy a praememorata Erdeöd, comite Posoniensi, caeterisque quamplurimis regni nostri Hungariae comitatus tenentibus et honores. — Ferdinandus m. p. — Georgius Szelepchény e. episcopus Nitriensis m. p. Andreas Rüthkay m. p. —

Felhajtáson: Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo, feria proxima ante festum exaltationis Sanctae Crucis in sede iudiciaria comitatus Zabolczensis in possessione Petneháza celebrata praesentes sacratissimae caesareae regiaeque maiestatis super armorum seu insigniorum nobilitarium collatione gratiose donationales exhibitae sunt et praesentatae, publicataeque solemniter per me Laurentium Zathureczky iuratum sedis notarium m. p. —

2 KORONA

205. / 1911. sorszám.

Hogy ezen másolat a Nemes József királyi kúriai tanácsjegyző, járásbiró úr, budapesti (: VIII. Rökk Szilárd utcza 20. :) lakos, nagybégányi (: beregmegyei :) földbirtokos által

[illegible]

eredetiként felmutatott, bélyegtelen nemes-levéllel szóról-szóra megegyezik, bizonyítom.

Kelt: Budapesten, 1911. Egyezerkilencz-száztizenegyedik évi Márczius hó 15 tizen-ötödik napján.

Díj és bély: 1420 f.

SZABÓ ALBERT KIR. KÖZJEGYZŐ BUDAPEST

Szabó Albert kir. közjegyző

493/1911 orsz. l. sz. a. az országos levéltárban az eredeti bemutatva
Nemes József